DE NUDITATE PROTOPLASTORUM DE SERPENTE TENTATORE...

Bonaventura Luchi

DE NUDITATE PROTOPLASTORUM DE SERPENTE TENTATORE

DISSERTATIONES DUÆ

Habitæ in Gymnasio Patavino Mense Novembri

1754.

A F. BONAVENTURA LUCHI
Brixiensi Ord. Min. Con. Sac. Scrip. P. P.

PATAVII. MDCCLV.
Typis Seminarii.
SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

JOSEPHO PUTEOBONELLO

MEDIOLANI ARCHIEPISCOPO &c.

FR. BONAVENTURA LUCHI

F.

ETsi videbam fore ut in reprehensionem multorum incurrerem, viderque plus nimio mihimet sumere, si dissertationes hasce tuis sistere oculis

 susti-

ſuſtinuiſſem, PRINCEPS EMINENTISSIME, nihilo tamen minus hominum judicia ſubire ſatius duxi, quam mihi rebuſque deeſſe meis, quibus in patrociniorum tuorum amplitudine decus longe maximum, ac præſidium firmiſſimum poſitum eſſe ſentiebam. Nam qui parvas res, meiſque perſimiles haud dignas habent, quæ nomen tuum præſeferant, dum præclare de TE, ita ut par eſt, cogitant ac loquuntur, TUI adeundi omnem hominibus adimunt ſpem, ac liberales artes & Muſas deſpondere propemodum animos jubent. Quis enim a naturæ bonis, & eruditionis opibus tam laute paratus ſit, ut quicquam de ſe polliceri audeat, quod nominis tui ſplendori gravitatique reſpondeat? Tanta quippe illius dignitas & gloria eſt, tam in excelſo illuſtrique loco poſita, tanto ac tam mirifico virtutis candore perfuſa, tam certo ac tam claro non Italiæ modo, ſed Europæ totius conſenſu plauſuque probata, ut eam admirari omnibus

in

in proclivi ſit, colere vero & celebrare pro merito ne diſertiſſimus quidem poſſit. Sed cum ea felicitas, non ſine peculiari Superum favore, ætati noſtræ obtigerit, ut in Te, Cardinalis Præstantissime, exemplum apprime conſpicuum illius delectus habeat, quo ad regendam inſtruendamque Eccleſiam ſuam Epiſcopos conſtituit Deus; inde autem exortam de Te exſpectationem ita ſuſtinueris, ut virtutis robore, animi excelſitate, rerum humanarum deſpicientia, fide & conſtantia in graviſſimo munere adminiſtrando plane effeceris, ne iſthæc Metropolitana Eccleſia ſuperiorum temporum Præſules, divinarum rerum cognitione, ac ſanctorum prudentia & artibus impenſe claros, ſibi deeſſe quereretur; mihi perſuaſiſſimum ſemper fuit, qui tantum ad dicendum agendumque facultatis adepti ſunt, ut magna & præclara moliri valeant, ſcite ac pulchre facere, ſi in Te maxime mentis oculos ac ſtudia omnia defigant:

enitendum porro iis qui nec ingenio nec doctrina præſtant, nec agendo conandoque celebritatem conſecuti ſunt, ut ne poſteritati tantam boni vim aut non perſpexiſſe, aut perſpectam non coluiſſe videantur. Itaque cum exercitationum ſpecimen in medium proferre conſtituiſſem, quas proximo menſe Novembri ex edito loco habueram, audendum etiam eſſe intellexi, & quod poſſem per me efficiendum, ut ſummæ atque incredibilis obſervantiæ erga TE meæ declarandæ voluntas, jampridem cordi infixa penitus, & ægre hactenus ſilentium paſſa, authoritate & gratia nominis tui hominum memoriæ commendaretur. In quo ſane mihi eo indulſi alacrius, quod hac ſignificatione obſervantiſſimi animi mei, & pulcherrimis cum veterum tum recentiorum beneficiorum vinculis TIBI obſtricti, nihil ad TE, CARDINALIS AMPLISSIME, accedere poſſe ſentiebam, præter occaſionem eximiæ illius benignitatis explicandæ & exercendæ, qua

homi-

homines a litteris minime alienos; tametsi nihil de Te meriti unquam sint, excipere consuevisti, me vero pluribus abhinc annis ad Te primo accedentem, nulloque officiorum genere Tibi commendatum antea, perliberaliter complexus es, ac palam, inque illius clarissimæ Urbis oculis honestare perhumaniter voluisti, quæ in Te & gravissimum Sacerdotii exemplum, & Pastorem ac Patrem beneficentissimum, & primarum virtutum Principem suspicit, veneratur, omninoque studiose ac mirifice colit. Quamobrem non agam pluribus, neque committam leve munusculum ornando verbis, ut qui in scriptiunculam hanc injicient oculos, quicquam præ eo me voluisse amplius suspicari possint, quod semel professus sum. Id vero si per ingenitam animi tui nobilitatem ita consequi mihi liceat, Princeps Clementissime, ut ausibus hisce meis haudquaquam succenseas, nihil honorificentius præstabiliusve me unquam ha-

buiſſe in votis credam, aut aliquando habiturum. Quod reliquum eſt, in Sacræ Purpuræ oſculo me totum Tibi penituſque dedo, ac Deum Opt. Max. enixe precor, ut Te Mediolanenſis Eccleſiæ bono, ampliſſimi Ordinis decori ornamentoque, bonorum omnium ſpei ac præſidio quam diutiſſime incolumem ſervet, atque egregia optata, & incepta tua maniſeſtis Numinis ſui declarationibus approbet, atque fortunet.

DE

DE NUDITATE PROTOPLASTORUM

Ad Genesis c. II. v. 25. & III. v. 7.

Procemium. Ratio interpretandi priora tria Gen. capita, qua nonnulli usi sunt. Non esse conferenda quæ Plato in Timæo tradit cum Mosaicis. Argumentum Dissertationis. I. *Joannis Clerici opinio de nuditate Protoplastorum.* II. *Aliorum opinio, quæ exploditur.* III. *Quid & quotuplex oculorum apertio, quid itidem scientia boni & mali, & quam Protoplasti consecuti sint.* IV. *Toto eos corpore fuisse nudos, contra quam decernit Clericus.* V. *Pudor quid.* VI. *Hujus causam nullam habuisse Protoplastos, quoad integritatem retinuerunt.* VII. *Habuisse vero statim atque eam amiserunt; & in quo sita fuerit, cum D. Augustino decernitur.* VIII. *Clerici cogitata refelluntur.*

Mundi

MUndi primordia ſuperiore anno deſcribere ingreſſum, & quę ea proxime conſecuta eſt ętatis eventa, & fata retexere atque enarrare inſtituentem, in ipſo quaſi incepti limine me non invitum, nec repugnantem detinuit Moſes. Tantam enim rerum copiam primis Geneſeos libri capitibus Vir divinus complexus eſt, tam gravi ac tam ſolido orationis genere univerſi operis rationem expoſuit, quod a temporis principatu fabricatus eſt Deus, ut non modo rebus, quarum varietatem, pulchritudinem, magnificentiam nulla humanæ mentis vis aſſequi poteſt, ſed verborum quoque pondere & granditate incredibilem ſegetem, materiamque inquiſitionis obtulerit. In qua tractanda & expedienda non

illo-

illorum æmulari conatus mihi consilium fuit, qui Mosis verba impudice divexant, trahuntque modis omnibus, ut ad ejus, quem insignem habuere, Philosophi inventa & cogitata inflectant; neque vero eorum sectari industriam tutum satis arbitratus sum, qui antiquitatis scrinia excutiunt atque compilant, & congesta undique priscæ doctrinæ monumenta Mosaicis attexunt. Illi enim quid agunt aliud, quam ut partium studio, opinionumque commentis divini obtendant spiritus authoritatem? Quo sane nec posterius quicquam fieri potest, nec nequius. Isti vero tametsi veritati operam dant, inque eo solertiæ intendunt nervos, quod ad eandem illustrandam & confirmandam habere vim putant, in vitio tamen sunt. Per ea namque veritati lumen & præsidium parant, quæ cum obscura per se sint ac maxime dubia, nobis legendi laborem augent, & cognoscendi difficultatem. Et vero cum multa a Philosophis, Poetis, atque Historicis de Supremo Opifice, Mundi ortu, & hominum fatu tradita & celebrata sint, quæ a Mose ipso deprompta vulgo feruntur, quidnam tamen visum ad

Mosai-

Mosaica præ iis accessisse propius, quæ in Critia ac Timæo differit Plato? Atqui hæc ipsa a Mosis disciplina tam longe abscedunt, ut stupore correpti haberi possint, qui Mosem nos jubent admirari in Platone loquentem.

Summus namque ille in Timæo Deus, qui propria bonitate illectus Universi hujus fabricam ad æternæ exemplum ideæ adoritur pulcherrimi operis optimus artifex, Conditoris ac Numinis majestatem potestate sua haudquaquam tuetur. Hæret quippe in materia totus, ex qua expressa omnia & efficta sunt: hæc vero & suapte natura extantiam habet, & vita prædita est, atque ingenio malo pravoque, quod nulla vis, ratio nulla flectere ad bonum potest. Universitatis proinde regnum ita obtinet Deus, Platonis sententia, ut in eo posteriores non ferat materia partes, quippe quæ & gignendi caussas apud se habeat, & malorum potestatem ac vim, quæ optimi Opificis consilia & rationes eludit. Secundum hæc quorsum illa pertineant in proclivi est conjicere, quæ Plato magnifice de Deo loquitur, eum universorum patrem, artificem, ac ducem nomi-

minans. Nimirum verba isthæc sunt, quibus effectricem caussam materiæ infusam ac permixtam adumbrare voluit, quin tamen propagatas cum ipso mortalium genere opiniones, infixasque in hominum animis commoveret, inque suorum popularium offensionem incurreret. Sed præterea quo ordine Mundi generatio processerit, quæ hujus natura sit, quid ad hunc exornandum hominum divumque imperator contulerit, quid inferiorum deorum solertia machinata sit, quos animantum contexere corpora, animasque temperare ac dispertire jusserat, tum autem terram aptis ad amœnitatem ornamentis instruere, seminibusque ad animalium vitam recreandam reficiendamque, si dicere cum Platone pergam, contendamque isthæc cum Mosaica Mundi Genesi, jure ac merito iis joco ac ludibrio sim, qui utraque norunt.

Quid vero hominis procreatio, quam peculiari studio atque industria a Deo perfectam Moses tradit? Visa nimirum Philosopho summo minus digna supremi Opificis consilio & arte; itaque minoribus mandata diis, qui non unum hominis finxere corpus, sed plura viritim, eaque uniusmodi,

di, nullaque sexuum varietate distincta, quibus deinde animas adjunxere e sideribus devocatas. Porro autem harum nonnullæ cum deinceps a justitia defecissent, ac perturbatis affectibus obsecutæ essent, extemplo quæ incolebant corpora induere jussa muliebrem habitum naturamque; eoque factum, ut in marem ac fœminam tribueretur hominum genus, aptaque utrique ad generationis opus instrumenta adderentur, cum libidinis æstu & cupiditate gignendi. Silentio premam quæ de Mundi anima, deque animorum ortu ac migrationibus variis Plato pluribus differuit, commenta & fabulas secutus Pythagoreorum, ne criminandi potius studio facere videar, quam veritatis declarandæ & confirmandæ. Sed cum abhorreant a Mosis disciplina quam longissime quæ delibavimus, iis autem melius nihil Barbarorum Græcorumque theologia aliquando habuerit, quantum eorum industriæ referemus acceptum, qui isthæc cum Mosaicis studiose connectunt & miscent, perinde quasi illa ab hisce deducta sint, aut utraque ab uno eodemque fonte manarint? Accedit præterea, operosum negotium esse incer-

cer-

certæque aleæ plenum, priſcorum Philoſophorum ſcita perveſtigare, verborumque metiri vim, vel tum maxime cum ſua perſpicue cogitata elocuti videntur. Nam ſcita plerumque fabularum involucris concluſa ſunt, quarum intelligentia in conjectura verſatur, quæ fere in varias ducit partes, interdum etiam in contrarias; dicta autem quod attinet, non eædem, quæ apud Moſem, ſunt apud illos verbis ſubiectæ notiones. Ut enim e pluribus unum exemplum proferam, aliud λόγος Platoni eſt, Moſi aliud, Platoni ratio, Moſi Verbum per quod facta ſunt omnia. Id tamen non animadverſum in cauſſa fuit viris diſertiſſimis, ut λόγον ὑποςατικὸν in Platone interpretarentur.

Hęc vero, & alia plura, quę ſciens prudenſque prętereo, mecum ipſe reputans, cum Geneſeos librum interpretari ingreſſus ſum, non plane abjicienda eſſe decrevi, quę e veteris Philoſophię penu deprompta ad inventam jam veritatem illuſtrandam exornandamque uſui eſſent, ſed hiſce ſobrie caſteque utendum, ne per exotica & aliena vagando debita divinis Litteris opera obſcura ſpe & cęca expectatione

tione fatigaretur: omninoque Mosis sententiam a Mose ipso exquirendam duxi, & qui ipsum secuti sunt Patribus ac Mystagogis, ut suis opibus subnixa veritas consisteret immota & constans, depulsisque irruentium undique errorum tenebris, nativam pulchritudinem explicaret. Itaque factis inde interpretandi initiis, unde Moses narrationem suam exorsus est, operum rationem exposui, quibus Deus, Cœlo Terraque constitutis, Universi molem perfecit ornavitque dierum sex progressione usus; ac deinde quæ cum Adamo transegit; cui corpus de rudi gleba finxerat, quo pacto ei vitę sociam & conversationis invenerit, quanta bonorum copia utrumque ditarit, elocutus sum, ἀκριβεία ad unumquodque dispiciendum adhibita, quę strenua critices tractatione regitur. In quo si quicquam profecisse me dixero, plus mihi sane tribuam, quam ipse de me profiteri aut debeam, aut possim: conatum esse tamen pro virili parte ut proficerem, prę me fero, & judiciorum vestrorum authoritate fretum, quę semper feci faciamque maximi quoad pulcherrima hac luce fruar, & anima spirabo mea, inceptum

ptum non ſine oblectatione ſolertię perſecutum eſſe.

Bonę proinde ſpei plenus, quod Deus Opt. Max. proſpere evenire jubeat, ad inſtitutum revertor, & poſtrema ſecundi capitis Geneſeos verba perpendens, eademque cum aliis conferens, quæ cap. 3. loquitur Moſes, primo Adami in hortum deliciis refertum a Deo translati felicitatem dignitatemque, ac deinde caſum ignominiamque hoc die Vobis proponam. Lætiſſimum hortum in Edenis regione a Deo extructum incolebant Protoplaſti, cumque moleſtiam nullam a caloris, aut frigoris vi ſibi metuendam ſcirent, nihilque circumſpectantibus occurreret, quod ipſorum oculos animoſque offenderet, nullo amictu induti corpora incedebant, ac bonorum omnium affluentia ſtipati innocentis vitæ gaudia ſecuri potiebantur. *Erat autem*, inquit Moſes v. 25. c. 2. *uterque nudus*, *Adam ſcilicet & uxor ejus*, *& non erubeſcebant*. Sed cum veterator ſerpens nimis credulæ mulieri os ſubleviſſet offuciis, eandemque ad migrandum Divinum præceptum pellexiſſet, tum vero Adamus dentes illiſiſſet vetito fructui, mutuo ſe

conſpicati, quam decoram habuerant, converſa de repente rerum facie, probroſam nuditatem habuere. *Et aperti ſunt*, inquit Moſes c. 3. v. 7. *oculi amborum, cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Quidnam quæſo in hac bifronti primorum hominum nuditate ſpectare nos voluit Moſes? Res eſt accurata indagine digna. Cui me quidem facturum ſatis arbitror, ſi primo oſtendero, utrobique Moſem veram corporum nuditatem habuiſſe in oculis, eandemque deſignaſſe: cauſſam deinde protulero, ob quam nullum Protoplaſtis nuditas pudorem inuſſit priuſquam divinum mandatum deſererent, tegumenta vero invenire ac latebras quæritare compulit ſtatim atque deliquerunt. Hæc dum exequor, quid ſibi velit oculorum apertio, quæ obvenit peccantibus, & quidnam ipſa conſecuti ſint, in aperto ponam.

I. Tametſi veterum aliqui Philonem ſecuti, a quo, ut habet Photius cod. 105. allegorica omnis enarrandæ Scripturæ ratio ceu a fonte manavit, Geneſeos cap. ſecundum ac tertium ἀλληγορικῶς omnino interpretati ſint, quod fieri non potuit, quin

in-

ingeniorum licentiæ ad quodlibet pro lubidine comminiſcendum aditus aperiretur, nonnulli quoque, Manichæi vero in primis, odio quodam penitus inſito nefarioque veritatis, allegorias affectarint, qui autem ſuperiore ſæculo aut altius origines humani generis repetivere, & Adamo antiquiores homines intulerunt orbi, aut novas telluris theorias adornarunt, hiſtoriæ veritatem allegoriis labefactare & corrumpere conati ſint, nemo tamen, quod ſciam, ante Joannem Clericum, quæ de primorum hominum nuditate memoriæ prodidit Moſes, ſollicitare & ad myſteria rapere aggreſſus eſt. Hic ſive novandi prurigine percitus, quæ abſurda & impia dogmata conſectari ſubegit homines, ſive Divinas litteras vertendi & interpretandi licentia, qua impudenter haud raro uſus eſt, luſiſſe vocis ambiguitate Moſem hoc loco contendit, inque Herculeos incidere nodos qui veræ germanæque nuditatis formam ab eo propoſitam volunt. (1) Vocis

(1) Joannes Clericus in comment. ad hunc locum.

Poſtquam illicitum fructum comederunt, animadverterunt quod antea in animum non revocaverant,

namque עָרוּם qua Moses nuditatem pre toplastorum notavit, anceps potestas ac multiplex, eademque a Mose ipso usurpata

verant; nempe aut sibi Divinam iram conciliasse; aut intestinorum dolore, fructus illius usum esse noxium, nedum ex eo emolumentum ingens, ut speraverant, ad se redire: aut utrumque simul. Vox qua Hebræi nudum significant est πολύσημος; etenim עָרוּם *haròm* est supra c. 2. v. 24. ubi de nuditate Adami, & Hevæ sermo est. Eadem occurrit c. 3. v. 1. ad calliditatem serpentis significandam, commate proxime sequente, quod suspicionem animo injecit Divinum scriptorem vocis ambiguitate veluti gavisum, data opera eam hoc in negotio usurpasse. Qua in sententia non parum confirmatum me sentio, cum in animum revoco tertium esse hujus vocis sensum, qui huic loco commatis 7 optime convenit. Quia qui nudus cernitur, pudore suffunditur; ideo qui pudenda facit nudus aut retectus dicitur. Ita Exodi 32. v. 25. Moses narratur post conflatum & consecratum vitulum &c. Ita se nudos esse Adamus & Heva, hoc est se peccasse, animadverterunt &c. Qui hic nudum proprio interpretantur sensu, ii se inextricabilibus induunt nodis. Cum soli essent Adamus & Heva, non magis potuit eos nuditatis suæ pudere, aut eam non antea animadversam deprehendere, quam priusquam peccatum admisissent. At arboris illicitæ fructus, inquiunt alii, eos ad Venerem concitavit, motusque indecoros in eorum corpore fecit; quod ut admittatur quasi compertum, licet inanis sit conjectura, quid inde colligere queunt? An is est vitiosus viri

pata non modo ad nuditatem designandam, quæ incurrit in oculos, sed illam etiam quæ in animo delitescit. Quemadmodum enim עֲרוּמִּים fuisse dicuntur Protoplasti, ac tum nuditatem suam veriti cum illicitum fructum degustarunt, ita Moses Exodi 32. v. 25. post conflatum & consecratum vitulum vidisse populum dicitur פָּרֻעַ *pharvah*, *nudum*, quod eum nudaverat Aaron inter hostes suos; & præterea serpens, qui incautæ mulieri dolos & machinas admœnivit, omnium bestiarum עָרוּם *harùm* callidissimus appellatur. In hac autem certa vocis ambiguitate, quid magis incertum, quam nuditatem corporis fuisse notatam? Num pravitatis quicquam illa habuit, aut probri? Nil minus. Etenim prius eam animadvertisse certum est quam ab innocentia descîscerent, *erat autem uterque nudus*, inquit Moses, *Adam*

viri erga uxorem appetitus, quem ipsa natura animalibus ingeneravit? An potuit eos magis pudere, quod nudi post peccatum eum sentirent appetitum, quam antea? Cum terrarum orbem soli incolerent, idem esse ipsis thalamus potuit æque pudicus, stellis apertus, ac tecto, muris, laquearibus, & aulæis absconditus. Certe eos ejus rei pudere non potuit, propter quam erant non minus ac reliqua animalia creati &c.

& uxor ejus , & non erubescebant ; animum proinde ad nuditatem adverterant; & cum iterum in eandem intenderunt oculos experrecti conscientia sceleris, soli erant, quibus proinde thalami securitatem tam bene præbebat orbis universus, quam conclave reconditum, laquearibus tectum, & aulæis ornatum. Quod enim ajunt nonnulli, in eorum corporibus statim a patrato peccato motus apparuisse, qui pudorem inspergerent, pura putaque conjectura est; etsi autem haberetur compertum, nihilo tamen minus eos nuditatis suæ pudere non potuit. Quid enim in eo vitii, quod natura omnibus animantibus indidit, & propter quod mas & fœmina conditi erant? Itaque nuditas, quam Protoplasti exhorruere, non corporis, sed animi fuit. Perculit quippe eorum mentes admissi fœditas criminis, & impendentis pœnæ sensere pondus; indeque pudore obruti & animo consternati latebras quæsivere. Ita philosophari Clerico hac in re libuit.

II. Longe alia veterum quibusdam de hoc negotio sententia fuit. Rati namque primos homines in Edenis horto nuda omnino gestasse corpora, in hac autem nudita-

ditate vile quicquam esse, abjectum, atque ab hominis dignitate alienum, satius habuere illis eruere oculos, & cæcitatem affingere, quam pudoris sensum adimere. Meminit Philastrius hæreticorum quorundam, qui in hac opinione versati sunt; & nominatim Simon cognomento Magus, Homilia 3. inter eas, quæ Clementi Romano tribuuntur, argumentum cæpisse ex parentum nostrorum cæcitate perhibetur ad majestatem Numinis deprimendam. (1) Prava ejus intelligentia, quod acci-

 disse

(1) Homil. 3. cap. 38. Simon Magus adversus D. Petrum disputans, Deum, qui in veteri instrumento commendatur, non esse supremam & omnipotentem Providentiam contendit, quia improvidus futurorum est, imperfectus, indigens, non bonus &c. Argumentum ad id ex hoc capit, inquiens cap. 39. -- Statim ergo qui ad ejus similitudinem factus est, Adamus, etiam cæcus creatur, & cognitionem boni vel mali non habuisse traditur, & transgressor invenitur, & ejicitur e Paradiso, morteque mulctatur.

Respondit Petrus cap. 40. Adamum dicis cæcum formatum fuisse, quod tamen ille non erat. Non enim cęco præcipiens ostendisset ac dixisset; de ligno autem scientiæ boni & mali ne gustetis. Et Simon; cæcam dixit mentem ipsius. At Petrus, qua ratione mente cęcus esse poterat, qui antequam gustasset fructum, convenienter Creatori

diſſe peccantibus memorat Moſes, & iis, & aliquibus Hebræorum doctoribus hunc errorem ſuaſit. Si enim peccando aperuere oculos, & nuditatem perſpexere ſuam, quod illis eveniſſe tradit Moſes, dum integri erant ſceleriſque puri oberraſſe cæcos neceſſum fuit. Sed enim vero qui hæc diſputant leviſſimum nugatorem Moſem faciunt & ineptiſſimum. Memoria namque & admiratione dignum habuiſſet, cum alter alterum videre non poſſet, neutrum nuditatis ſuæ pœnituiſſe.

III. Porro autem oculorum apertio Scripturæ more multifariam dicitur. Aperiri namque eorum non modo dicuntur oculi, qui aut viſu carent, aut clauſos gerunt oculos, ſed etiam qui animadvertunt quidpiam,

ri ipſius, propria omnibus animalibus impoſuit nomina? Simon vero, ſi Adamus prænotionem habuit, quare non prænovit ſerpentem uxorem ejus decepturum? Rurſum Petrus: Si prænotionem non habuit Adamus, quo modo filiis ſuis ſimul ac nati ſunt nomina impoſuit ſecundum futuras actiones? Et primum vocavit Cain, quod exponitur *æmulatio*, qui etiam æmulatione ductus interfecit fratrem ſuum Abel, quod nomen vertitur *luctus*; ſuper eo ſiquidem primo hominum occiſo parentes luxerunt, cap. 43. Pergit Petrus: quod ſi Adamus, qui Dei opus erat, prænotionem habuit; multo magis qui condidit eum Deus.

piam, quod antea non animadvertebant, vel ejus ſcientiam aſſequuntur quod ignorabant. Prior apertio eſt oculorum corporis, poſterior mentis: illa proprie oculorum appellatur apertio: iſta metaphora ſumpta ab oculis corporis. Ad utramque exempla in promptu ſunt. Animadverſionem rei, quæ oculos afficit, phraſis hæc notat Gen. 21. verſ. 19. ubi Deus aperuiſſe Hagaræ oculos dicitur, ut vicinum fontem animadverteret, quem non videbat. Ad eundem modum Regum 3. c. 17. oculos aperuiſſe Eliſei famulo traditur Deus, ut montem videret equis plenum & curribus igneis: eadem plane ſententia oculos Bileami aperuiſſe narratur Num. 22. Poſterior apertio fit vel immiſſo divinitus lumine, quo illuſtratur mens & erigitur ad verum cognoſcendum. Hac ratione Lucæ 24. Chriſtus aperuiſſe dicitur Diſcipulorum oculos ut Scripturas intelligerent; & alio in loco, oculos duorum Diſcipulorum aperuiſſe in fractione panis. Vel ope diſciplinæ fit, qua mens ad veritatem imbuitur: hoc pacto juſſus eſt Paulus Actorum 26. aperire oculos gentium. Vel demum cum mali facinoris conſcientia homo

exci-

excitatur ad id cognoscendum, cujus ignoratione tenebatur. Non est opus pluribus ad rem hanc declarandam.

Atque ut ad apertionem oculorum veniamus quæ obtigit Protoplastis, minime dubium haberi debet, apertionem oculorum mentis Dęmonem ipsis esse pollicitum. *Aperientur*, inquit, *oculi vestri*, *& eritis sicut Dii scientes bonum & malum*. Vocis אֱלֹהִים quam hoc loco adhibet Moses, non sistit in uno Deo vis, sed ad ipsius quoque ministros, Angelos nimirum, porrigitur. Quare nobis intelligere integrum est, aut cum Deo æqualitatem spopondisse Dæmonem, aut cum supernis mentibus. Malim tamen cum Deo, propterea quod verbum nullum de Angelis Mosem fecisse in tribus prioribus Geneseos libri capitibus non inanis conjectura est; & haud longe a veri specie abhorret, Dæmonem sedulo dedisse operam, ut in peccatum impelleret hominem, quod ipse peccaverat. Sita hæc æqualitas in boni & mali scientia. *Eritis*, inquit, כֵּאלֹהִים יֹדְעֵי טוֹב וָרָע *Deorum instar scientes boni & mali*. Boni & mali vocibus, quæcumque mens complecti potest, continentur. Quæcumque enim men-

mentem ſubeunt aut bona, aut mala, aut utilia, aut inutilia & noxia. Gaudent Divinæ Litteræ ad idipſum ſignificandum hujus phraſis frequentia. Thecuites Davidem orans 2. Reg. c. 14. ut filium revocaret hunc in modum loquitur, *inſtar Angeli Dei eſt Dominus meus Rex ad intelligendum bonum & malum*: ac deinde *ut ſcias bonum & malum*, omnia ſcilicet quæ ſcire licet, ut ipſa commate 20. declarat inquiens, *Dominus meus ſapiens eſt tanquam Angelus Dei ad ſciendum quicquid eſt in terra*. Rurſus jurgari Labanem cum Jacobo vetans Deus Gen. 31. verſ. 29. -- *cave tibi*, inquit, *ne loquaris cum Jacobo a malo uſque ad bonum*. -- Abſalom itidem 2. Reg. c. 13., quo alte diſſimulaſſe vindictam quam volvebat animo innuatur, *nec bonum nec malum* cum Amnone locutus dicitur, hoc eſt nihil quicquam cum eo locutus eſt. Hinc pueris omnium rerum ignoratio tribuitur, cum Deuteronom. 1. ignorare dicuntur *bonum & malum*. Itaque apertionem mentis Dæmon Protoplaſtis ſpopondit, quæ univerſorum cognitionem complecteretur.

In quo nequiter ſane mentitus eſt.

Nam

Nam apertionem quidem oculorum ambo adepti ſunt tam mentis quam corporis, non tamen ad capeſſendam ſapientiam, ſed ad propriam nuditatem ac turpitudinem cognoſcendam. Et aperuiſſe oculos corporis, inque ſeipſis nuditatem intuitos eſſe, non eſt ſuadere opus; conſuerunt enim ſibi ex ficus foliis campeſtria, ſeu ſuccinctoria. Oculos itidem mentis apertos habuiſſe Moſes declarat dicens, apertos eſſe amborum oculos & agnoviſſe ſe eſſe nudos. Nimirum nuditatem corporis, quam oculis perſpexerant, mente probroſam judicarunt, & conſcientia ſceleris perculſi ſe in latebras conjecere. Itaque dum ſcientiam Deorum inhiant, falſa ſpe deliniti, dignitatem hominis conſtuprarunt. Totam rem paucis Rupertus lib. 3. de Trinitate c. 8. complexus eſt. Cum enim monuiſſet hic Diabolum perinde atque Delphicum Apollinem luſiſſe verbis, ut, quo res cumque modo caderet, verum dixiſſe videretur, ſubdit, *ſub eadem pollicitatione cum dicitur: aperientur oculi veſtri: Heva ſapientiæ altitudinem: ille cogitat conſcientiæ confuſionem. Sub eadem dictione dum dicitur: & eritis ſicut Dii, hæc rapere*

Dei

Dei celsitudinem , ille suimet similem cogitat invenire damnationem. Item sub eadem pollicitatione scientiæ boni & mali, hæc plenitudinem scientiæ, ille cogitat experimentum miseriæ.

IV. Ita ne tamen est, ut se toto corpore nudos esse cognoverint ? Nemo sane hoc in dubitationis aleam pertrahere ausus est præter Joannem Clericum, de cujus impotentia in vexandis Divinis litteris longum esset dicere. Verum , dum præ aliis sapere voluit, se præbuit deridendum. Vocem namque עָרוּם *harùm*, quæ expers puncti Daghesch in sapientem & astutum convenit, & apprime in serpentem quadrat, qui Hevam in fraudem illexit, proprie hoc loco *nudum* designare tam certum est, quam quod maxime. Fit enim a עֶרְוָה *nuditas*, *pudenda*, *turpitudo*, *probrum;* estque nuditas, quam Græci *ἀσχημοσύνην* nominant, *inverecundiam*, scilicet, *dedecus*. Certant de eo Critici, utrum nomen עֶרְוָה in eas tantummodo competat partes, quas generationis operi natura dicavit, an vero ad rem omnem se proferat quæ turpitudinem adjunctam habet. Et sane vix unum aut alterum inve-

nias,

nias, qui ad rem quamlibet turpem porrigi inficias eat, præſertim vero ad actiones turpitudine fœdatas. Revera tamen eo notari proprie verenda tam muliebria, quam virilia comperiet quiſque radicem עָרָה conſuluerit, a qua deductum nomen eſt, adieritque Levit. c. 18. in quo toties occurrit, quoties earum partium mentio fit, in quibus natura ſexuum diverſitatem locavit, quod alterno quoque verbo per totum caput uſuvenit. Exemplo autem idoneo ne uno quidem oſtendet Clericus, eo nomine ſignificatam iri animi nuditatem; nec vero ullum attulit. Nam ad nuditatem quod attinet, quam in diſſipato populo & inſano animadvertit Moſes Exod. 32. v. 25. duriorem in voce פרע *pharvah* cubare metaphoram ipſe fatetur Clericus, dicique denudatum populum, quod ipſi decus præſidiumque deperiiſſet, quippe qui vitulum colendo effecerat, ut Deus, qui Iſraelis gloria erat, perinde ac ſplendidior veſtis qua tegeretur, ab ipſo recederet, pateretur que ut finitimis populis ludibrio eſſet, quibus antea metum terroremque incuſſerat. Equidem haud abnuo nuditatem quoque animi

mi ob ſcelus, quod bona ipſius omnia depopulatum eſt, confuſionem offudiſſe parentum noſtrorum mentibus. Qui enim fit, ut pacato quietoque eſſent animo, qui conſcientia ſceleris cruciabantur? Hæc namque, ut Chryſoſtomus loquitur, (1) *peccati reum interturbat, laniat, flagellat, numquam quieſcit*. Pulchre Poeta (2) – *exemplo quodcumque malo committitur, ipſi – diſplicet authori, prima eſt hæc ultio, quod ſe – judice nemo nocens abſolvitur*. Sequitur conſcientiam criminis pudor, qui latibula quærere docet: *occultat ſe*, inquit laudatus Chryſoſtomus; *quare dic? oro: quoniam videt ſibi adſtare accuſatorem vehementem, conſcientiam dico*. Verum etſi hæc quoque animi nuditas pudorem Adamo aſperſerit, hic tamen Moſes nuditatem corporis in illo nos ſpectare voluit. Hanc ipſe notaverat, nullumque pudoris ſenſum attuliſſe dixerat cap. 2., aliam cur tertio cap. voce notaret eadem, inque ipſa trepidationis, fugæ, pudoris cauſam poneret, ratio ſubeſt nulla.

V. Illud vero non dicam Philoſopho

ac

(1) Homil. 17. in Geneſim.
(2) Juvenal. ſat. 13.

ac Theologo apprime diſerto, ſed ne homine quidem dignum, quod ait Clericus, corporis nuditatem non potuiſſe Protoplaſtis pudorem inurere, & quod ſoli eſſent, & quod ad libidinem ferveſcentes corporis motus naturæ conſentanei ſint. Eſt namque pudor, ut Ariſtoteles ait Rethoricorum lib. 2. c. 6. *pudor*, inquam, ſeu verecundia *dolor quidam & perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferunt*. Brevius ibidem *eſt imaginatio de ignominia:* vel ut definit lib. 4. Eth. c. 9. *φόβος τῆς ἀδοξίας turpitudinis metus*. Intelligere licet ex his pudoris cauſam & originem in facinore poſitam, quo putamus nos poſſe in contemptionem adduci. Sed pudoris non una eſt cauſa. Nam pudendi cauſa in quocumque nobis crimine propoſita eſt, tametſi contra pudorem proprie perpetratum non ſit, ſed contra conſtitutas a juſtitia & charitate leges. Sequitur quippe hoc pudor, ſed eo tamen contra pudorem peccatum non eſt. Alia eſt pudendi cauſa in iis, quæ cum per ſe mala non ſint, in iiſdem tamen agendis nec noſtro, nec proximi pudori parcitur; & in hoc negle-

gle-

gleƐtu peccatum contra pudorem eſt: quod ſi cauſa pudendi abſit ne peccata quidem erunt. Alia pudendi cauſa non longe a priori recedens in iis eſt, quibus dignitatem noſtram lædimus vel a natura inſitam, vel induſtria & labore partam. Pudendorum revelatio contra pudorem eſt: ſcortatio contra naturalem hominis dignitatem. Itaque pudor metus eſt turpitudinis atque contemptus, ortus vel ex negleƐta & poſthabita hominis dignitate, vel ex prava aƐtione, quæ dignitatem hominis imminuit. Sequitur hunc metum rubor in vultu, confuſio in mente, latebræ ſtudium.

VI. Jam vero cauſam nullam in nuditate Protoplaſtis adfuiſſe pudendi quoad Deo adhęſere, eam porro tum fuiſſe adeptos cum illius mandatum tranſgreſſi ſunt, oſtendere noſtrum eſt. Quouſque enim juſtitiam retinuere, quam a Conditore cum ipſa natura acceperant, vita etiam frui datum illis plena tranquillitatis ac pacis. *Summa erat in carne ſanitas*, inquit Auguſt. lib. 14. de Civ. Dei c. 26. *in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiſo nullus æſtus, aut frigus; ſic in ejus*

C ha-

habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio.

Quidni autem ita esset, cum totum hominem regeret ratio, eaque animi impetus & corporis motus omnes nutu cieret ac temperaret? Nulla proinde perturbatio ex inferiori animæ parte in superiorem invadere poterat, nulla pravæ libidinis titillatio inopinatos in corpore excitare motus. Nam qui concupiscentiæ labem ad hominis referunt primordia, & naturæ bonis annumerant, quod Pelagiani olim factitarunt pertinaciter, & impudenter æmulatus est Clericus, cum gravissimam Deo injuriam inferunt, quem morbi authorem dicunt omnium pessimi, tum innocentis hominis tollunt beatitatem, dignitatemque pessundant. Aut enim libidini repugnando diu noctuque homo cum hoste acerbissimo conflictatus esset, quo vitæ tranquillitatem abjecisset funditus, aut eidem parendo e celsissima dignitatis & honoris sede in malorum profunda se dedisset præcipitem. Scite Augustinus Julianum urgens lib. I. posterioris contra ipsum operis c. 70. *Si talis*, inquit, *erat, qualis nunc est* (inferior scilicet hominis

minis pars) *vel illi resistebatur per temperantiam, vel per intemperantiam cedebatur: ac sic homo libidini aut peccando servire cogebatur, aut bello intimo repugnare; quorum alterum honestati, alterum paci felicitatis illius, si humanum sensum habetis, non convenire sentitis*. Sed ubi appetitus illius, quem concupiscentiam dixere Patres, vis nulla hominem instiget urgeatque, nullus profecto iis affectibus locus, quorum impetus hominem ab homine distrahit, impellitque in diversa, nullus motibus in corpore aditus, qui rationi prævertunt, eandemque concutiunt; nihil proinde homini extimescendum, quod ipsius dignitatem dedeceat. Dignitas namque hominis in eo sita, quod in ipso est præstantissimum, ac mens & animus appellatur; hoc enim animantibus reliquis homo præstat, & ad Deum accedit proxime. Enitescit autem animi majestas ac dignitas in imperio, quod totum complectitur hominem defigitque in obsequio rationis. Quamobrem etsi Adami innocentis corpus membris iis instructum erat, quorum aspectus ęstimationis detrimentum contemptumque homini parat, cum tamen

eorum vis omnis ac motus rationis contineretur imperio ; nihil in ipſis ſuſpicabatur, quo probri alicujus notam ſubiret. Quid enim mali ſuſpicari poterat , qui innocentiæ candore ac luce perfuſus nihil quicquam vitioſum noverat, præter eſum vetiti fructus ? Quare prudentia nulla & cautione indiguit, ut ne furaretur, mentiretur , libidinaretur . Tam quippe uſus mulieris flagitioſus Adamo tum notus fuit, quam homini ſimplici & antiquæ fidei notæ ſunt veteratoriæ artes ac fruſtrationes Rabularum, qui longo litis ſufflamine negotium protelant. Quid ita? Totus nimirum ad virtutem formatus erat ab eo , qui ipſum fecerat rectum. Igitur nec ullis perturbationibus tangebatur , nec diſcruciabatur animi metu prævaricationis , nec aliquo carebat , quod bona voluntate proſequeretur , nec formidabat quod carnem animumque feliciter viventis offenderet. Erat proinde , ut Auguſtinus loquitur lib. 14. de C. D. c. 10., *devitatio tranquilla peccati* . Hoc fiebat ut nihil plane nuditas oculis ipſius offerret odio & execratione dignum.

VII. Verum hac tanta felicitate nec

bene ,

bene, nec diu usi Protoplasti, cito id experti sunt, quod turpem ac detestabilem suam ipsis reddidit nuditatem. Statim enim ac oblatum ab uxore fructum Adamus ori admovit, ex ea sibi impendere sensit contemptum ac dedecus. Num quicquam novi in Protoplastorum corpora immigravit, quod nuditatis speciem corrupit? Sunt qui putant non ab alio pudoris causam, quam ab ipsa nuditate, petendam. Quicquam enim ipsam per se habere volunt, quod ab hominis dignitate abhorreat quam longissime. Sane non aliam quæsitæ latebræ Deo percunctanti caussam Adamus protulit præter nuditatem. Equidem non ibo inficias corporis partes, quas ventri ac Veneri natura dicavit, procul ab earum dignitate abesse, quæ usibus aliis officiisque addictæ sunt. Membrorum namque dignitas ab officiis æstimanda, quibus ipsa deserviunt: horum autem alia magis minusve dignitati hominis vel tum fuisse consentanea non est ambigendum, cum integritatis bono frueretur. Crassum enim corpus & animale, quod gestavit implicatus perfidiæ crimine, tulit cum purus & integer esset; *non e-*

nim prius quod ſpiritale, inquit Apoſtol. Cor. 1. c. 15., *ſed quod animale*. Organis proinde præditus fuit ad ea munera obeunda, quæ homini cum animantibus reliquis communia cum ſint, eo magis vel minus ipſius dignitati conſentiunt, quo ad illorum affinitatem accedunt propius, aut ab eadem recedunt longius. Sed cum toti homini tum præeſſet ratio, nihilque in ipſo aut eſſet aut fieret, quod vel rationis detrectaret imperium, vel anteiret, omnes corporis partes, & quæ eiſdem excercentur officia, dignitati hominis congruebant. Quod ſi nuditas ipſa per ſe contemptus ac vituperationis metum injicere poterat, annon pudoris cauſa omnis in Deum regerenda, qui in hominem, quem ad ſui imaginem conformarat, id contulit, quod ipſius dignitatem in diſcrimen adduceret, eundemque nudum in mundum invexit? Igitur novi quicquam inceſſiſſe in hominem neceſſum eſt, quod ipſum vereri monuit nuditatem. Intelligitis, opinor, novum hoc, quod hominem perculit, & ad animam & ad corpus pertinuiſſe. Et ad animam quod attinet, ſenſiſſe affectuum vires credere par eſt, qui perpe-

tuo

tuo intestinoque bello rationem fatigant, eandemque e sua sede deturbare conantur; in corpus vero irrupisse tentiginem, quæ viri ac fœminæ inguina ad subitos motus excivit, fecitque ut uterque ad libidinem exardesceret. Itaque Adam, qui princeps humani generis a Deo constitutus nihil in seipso experiebatur, quod sibi obluctaretur, nihil extra se noverat, quod non sibi obsequeretur, sentiens extemplo se a semetipso distractum ac pęne divulsum, a pristina se novit dignitate excidisse. Juvat Augustinum audire, qui primorum hominum nuditatem in utraque fortuna spectans lib. 14. de Civ. Dei c. 17., rem totam ob oculos hisce ponit: *Scriptum est, nudi erant & non confundebantur: non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur, quandoquidem & ille vidit animalia, quibus nomina imposuit, & de illa legitur: vidit mulier quia bonum est*

lignum in escam, & quia placet oculis ad videndum. Patebant ergo oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti ut cognoscerent, quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos. Hæc graviter sapienterque more suo Augustinus.

VIII. Quapropter neutiquam Clerico assentior statuenti, subitos genitalium motus, & usum Veneris naturæ hominis consentaneos esse. Hi namque hominis naturæ consentanei membrorum habendi motus & usus, qui nec rationi prægrediuntur, nec reguntur ardore libidinis; qui vero rationi aut anteeunt, aut repugnant, naturæ hominis dignitatique adversantur. In his quippe non se hominis natura promit, sed naturæ vitium, quod carnis & peccati lex, & peccatum non semel ab Apostolo appellatur. Hoc autem quam monstrosum ac fœdum sit, quam infestum homini & exitiosum, quisnam satis dicere

va-

valeat? Itaque corporis membra, in quibus temere ſeſe exerit explicatque, merito in probro ſunt. Quis vero hæc in propatulo habeat, niſi plane frontem abjecerit? Nuditatis enim ſemper puditum eſt homines, ac tandiu pudebit, quandiu erit ipſorum natura ratio. Hæc non Romanos modo, apud quos vetere more, ut ait Tullius lib. 1. Offic. nec filii puberes cum parentibus, nec generi cum ſoceris lavantur, ſed Lydos quoque, ut memorat Herodotus in Clio, Gymnoſophiſtas, ut tradit Auguſtinus lib. 14. de Civ. D. c. 17. Æthiopes, teſte Diodoro Siculo lib. 4. Indos, ut ex Nicolao Damaſceno refert Strabo, nuditatem odiſſe docuit & exhorreſcere. Quid quod illæ ipſæ gentes, quæ neglectu & incultu ita ad pudorem obduruere, ut nec nuditatem ſentiant, nec obvelare uſum Veneris & cohoneſtare laborent, nihilo tamen ſecius ſi ad moratiores acceſſerint homines, aut ex his ad eas quiſquam commigrarit, pudoris experiuntur vim, ac tegumenta & latebras quærunt? Quamquam quid moramur hæc? An non egeſtatis & imbecillitatis exemplum in nuditate Divinæ Litte-

ræ

ræ nobis proponunt? *Nudus*, inquit Jobus, *egressus sum de utero matris meæ*. In ea turpitudinis declarationem constituit Ezechiel *erat nuda*, inquit c. 16. *& confusione plena*. Item *dimittent te nudam & discoopertam*, *& revelabitur turpitudo & fœditas tua*. Alibi etiam ut pœna denunciatur *nescis quia tu es miser*, inquit Joann. Apocal. 3. v. 17. *& pauper*, *& cæcus*, *& nudus*. Atque hæc cum de nuditate corporis universim dicantur, præcipue tamen in nuditatem conveniunt earum partium, quæ Veneris motibus obsequuntur, quibus proinde Divinæ Litteræ *turpitudinis* indidere nomen. Quare misere nugatur Clericus, cum ex eo, quod soli essent Adam & uxor ejus, atque in eodem luto versaretur uterque, pudere minus debuisse utrumque decernit nuditatis suæ. Etsi enim neutri ab altero contemptio impenderet ac flagitii exprobratio, quod sane uterque non sine causa metuere poterat, habuere tamen in effrænati appetitus contumacia, & qui hanc consecuti sunt indomitis corporis motibus, & accusatorem patrati sceleris, & monitorem infirmitatis, & miseriarum artifi-

cem

cem sævum, & implacabilem hostem tranquillitatis ac pacis. Sensere in membris suis legem, quam deplorabat Paulus, repugnantem legi mentis, & nefarium imminere jugum cervicibus minime ad servitutem natis. Hoc tanto, tamque improviso malo attoniti ac profligati repentinum quoque arripuere consilium, & instructis confestim subligaribus ex ficus foliis illa obtexere membra, & quoad poterant, occuluere, quæ protervitate sua perfidiam ipsorum ac dedecus arguebant. Audiamus hic iterum Augustinum, a quo velut a quodam sacro augustoque fonte nostra hæc disputatio deducta est. *Proinde confusi*, inquit ibidem, *inobedientia carnis suæ, tamquam teste pœna inobedientiæ suæ, consuerunt folia fici, & fecerunt sibi campestria*. Sed cum deinde reliqui corporis nuditas in id cogitationes atque oculos perferret identidem impelleretque, quod flagitii ac probri plenum cum esset, nec recordari poterant nec conspicari, quin horrerent & execrarentur, eam perosi, ac Dei adventantis voce perterriti sese in latebras proripuere. Habetis & stantis hominis securitatem, & lapsi pudorem,

&

& cauſſas utriuſque. Quæ his ſunt proxima, bona Numinis ope, veſtraque benignitate confiſi in ſequentibus perſequemur.

D E
SERPENTE TENTATORE

Ad Gen. c. 3.

I. *Opinio eorum, qui verum ac naturalem Serpentem interpretati, totum tentationis negotium ingenitæ ejuſdem calliditati tribuunt*. II. *Aliorum opinio, qui aut voluptatis illecebram Serpentis nomine deſignatam volunt, aut ad Cacodæmonem rem totam trahunt*. III. *Abnorme Manichæorum commentum ex D. Auguſtino, qui a Beauſobri cenſura vindicatur*. IV. *Eorum opinio, qui nihil cum Eva Serpentem locutum dicunt*. V. *Verum Serpentem intelligi oportere, non ſolum tamen, ſed a Dæmone obſeſſum*. VI. *Aſtus, quo hic mulierem adortus eſt*. VII. *Cur Eva Serpentis occurſum non exhorruerit*. VIII. *De duabus prioribus pœnis, quibus in Serpentem animadvertit Deus*.

Ha-

(XXXVIII.)

HActenus ducem ac Myſtagogum Moſem ſecuti, cum jam Divini Opificis majeſtatem ſapientiamque in conſtituendo ornandoque Univerſo admiratione ſuſpenſi ſpectaviſſemus, amœniſſimum illud domicilium perluſtravimus, quod in Orientali Edenis plaga homini integro ſceleriſque puro benignitas Conditoris extruxit; & quid Adamo obtigerit ſtatim atque in pulcherrimam illam felicitatis ſedem translatus fuit, quidque rerum geſſerit, quonam pacto vitæ ſociam nactus ſit, & quæ cum ipſo tranſegerit Deus, perveſtigavimus. Itaque & Mundi initia, & hominis ortum, & Eccleſiæ originem vidimus, quæ Divino munere integra & impolluta ſine macula & ruga apparuit. Fruebatur hæc beatitate lætiſſima divinis ſepta beneficiis undique, & cumulata donis, cum acerbiſſimus humani generis hoſtis livore atque invidia flagrans, compoſitis dolis, eandem in fraudem illicere ac perdere adortus eſt. Quem exitum habuerit Dęmonis inceptum ediſſerit Moſes c. 3. Geneſeos, in quo

fon-

fontem illum aperit omnibus mundi ſapientibus abſconditum, a quo inæſtimabilis malorum colluvies ad hominis perniciem exitiumque manavit. *Sed & Serpens*, inquit, *erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* En Serpentis ingenium, qui ad Evam fabricas fingit. Reſpondit hæc v. 2. *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur:* v. 3. *De fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Vide ſis Evæ ſimplicitatem. Tum vero Serpens v. 4. *Nequaquam moriemini:* v. 5. *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Turpiſſimum mendacium inſpergit Serpens, eique fidens mulier ad decerpendum fructum manum extendit. His Moſes & ſpeciem ejus, qui in mulierem fallacias intendit, & tentationis initium, & progreſſum, & exitum complexus eſt. Singula diligenter a nobis conſideranda ſunt. Sed

an

an verus fuerit Serpens, qui fucum fecit mulieri, an Serpentis ſpectrum, anxie quæritur ab Interpretibus, & non una omnium ſententia eſt. Nos ab hujus rei inquiſitione 3. capitis interpretationem auſpicabimur, propoſitiſque aliorum ſententiis, quæ maxime congruere verbis Moſis videbitur, eam ſtatuemus & confirmabimus.

I. Variæ nihilque mediocriter diſſidentes de Serpentis natura Interpretum ſententiæ, qui Evam fefellit, ad claſſes duas commode revocantur. Alii quippe verum ac naturalem Serpentem a Moſe deſignatum eſſe contendunt: alii allegorias ſecuti in explicanda Creationis hiſtoria, Serpentem quoque, ac totum tentationis progreſſum ἀλληγορικῶς interpretantur. Veterum Judęorum nonnulli verum fuiſſe Serpentem arbitrati ſunt, cui olim ſermo conceſſus fuerit. Quo namque tempore integritatem homo retinuit, animalia omnia eadem uſa voce putarunt, indeque ratione & intelligentia fuiſſe prædita, ac familiariter cum homine conſueviſſe. Id diſertis verbis tradit Joſephus lib. 1. Antiquitatum c. 3. Serpentem enarrans invidia

vidia captum mulieri ſtruxiſſe fallacias, ac Divini vetiti migrationem perſuaſiſſe. Secundum hæc, Deum, ſubdit, veteratori vocem abſtuliſſe, & ſuppoſuiſſe linguæ venenum, pedes quoque amputaſſe, quibus gradiebatur erectus, atque juſſiſſe ventre incedere. Viſa hæc Ezdraidæ, aliiſque Rabbinorum præſtantiſſimis apprime congruens Moſis verbis interpretatio, ideoque magno plauſu recepta & confirmata. Hinc calliditatem quoque Serpenti a Moſe tributam, propriam & naturalem interpretati ſunt, perinde quaſi ingenita vafritie uſus mulierem ludificatus ſit. Calliditatis porro, quam Serpenti Moſes tribuit, argumentum non unum obvium eſt. Quatuor offert Epiphanii Phyſiologus. Senium namque cum pręſenſit, in rimam petræ ſe inſinuat, pronuſque per foramen tranſire nititur, & ſenectutem exuit. Hominem veſtitum fugit, nudum confidenter aggreditur. Malim hujus contrarium, nimirum Colubrum nunquam nudum hominem ac dormientem lædere, contra vero veſtitum aggredi. Obſervatum id quippe non raro ab Olao, conſtanterque cum ab Euſtathio in Hexaemero, tum ab Au-

ctore Epist. ad Præsidium sub Hieronymi nomine, ab Isidoro quoque lib. 12. c. 4. & aliis traditum. Præterea appetitus ab homine corpus totum offert percutienti, caput vero illæsum servare conatur. In id respexisse Christum Patres animadvertere, cum Discipulos monuit, prudentiam Serpentum imitari. Denique ad fontem accedens, ut bibat, in latibulo venenum deponit, ne venenum, ut observat Eustathius, aqua concretum eum occidat. Non absimile, quod multi scribunt, Viperam cum Muræna coituram virus suum prius evomere, tanquam nuptias reveritam, ut ait Basilius Hom. 7. in Hexaemero, cui consentiunt D. Ambrosius in Hexaem. lib. 5. c. 7. D. Isidorus lib. 12. c. 6. & alii permulti. Igitur cum præstet calliditate Serpens, quam a natura accepit, confabulatum quoque cum muliere scribat Moses, non alius sane ab eo quærendus author sceleris, quod humano generi exitium attulit.

II. Visum aliis durum, atque ab omni plane ratione alienum, sermonem ac mentem bruto asserere, tum etiam Serpenti ablatos fuisse pedes. Quare ad allegoriam con-

çonfugere ſatius rati, quæ hic narrat Moſes, inter ea cenſeri volunt, quorum, ut verbis Joſephi utamur initio lib. primi, alia quidem dextre ſubinnuit, alia vero elegantibus allegoriis exprimit. Errant autem, qui in iis aut figmenta fabularum quærunt, quibus, ut Philo loquitur in lib. de Opific. Poetarum & Sophiſtarum gaudet genus, aut naturalem & proprium verborum ſignificatum ſequuntur. Sunt enim documenta figuris obvelata, quæ ad allegorias conſectandas illiciunt, quibus abditorum ſenſuum interpretatio continetur. Itaque Serpentem voluptatis loco poſitum exiſtimavit Philo, tanquam ſymbolum nempe voluptatis, quæ ſollicitavit mentem hominis, & præcipitem in malum egit. Adſtipulatores nacta hæc interpretatio præter Majemonidem in Morè Nevochìm part. 2. c. 29. nonnullos ex recentioribus Rabbinis, qui ſymbolicam Divinas Litteras interpretandi rationem ſtudioſe conſectati ſunt. Trahi ad hanc poteſt voluptatis in Serpente interpretationem, quod Conſalus Pontius de Leon, in notis ad Epiphanii Phyſiologum, ad ſolertiam refert, hanc in agilitate corporis ſitam

esse contendens. Sane in Dracone commendat hanc potissimum antiquissimus ille Taautus apud Euseb. lib. primo Præparat. tradens, Draconem omnium reptilium esse maxime spiritalis & igneæ naturæ, quo fit, ut absque adjumento manuum & pedum in varias figuras sese conformet, & flexuoso feratur impetu quamlibet citissime, tum etiam, quo vult, facile sese insinuet. Nihil est autem, quod se facilius in hominis ingerat animum, quam voluptatis illecebra; eaque etiamsi pravitatem oleat, liberalem tamen honestumque vultum induens hominem capit.

Nec vero metuendum, ne hac interpretandi ratione vis inferatur ulla verbis Mosis, qui Serpentem cum muliere locutum memoriæ prodidit. Receptum namque more antiquissimo Philosophorum, cum apud Asiaticos, tum Græcos, humanas res apologis adumbrare, e brutorum indole naturaque petitis. Nonne, cum de fraude sermo est, omnium ferme usu tritum, Vulpem in scenam producere, & callidissimam ferarum præfari, aut quicquam inspergere, quo ejus astutia commendetur? Sic apud Phædrum, caseum ex ore Corvi

vi delapsum, *Dolosa Vulpes avidis rapuit dentibus*. Eadem Avieno, quia est Æsopicarum fabularum Choragus, ut Philostratus loquitur, quasi acuti sermonis describitur, & arguta dicitur in apologo Vulpis & Pardi. Ad eundem modum Moses, viam sibi muniens ad lapsum primorum parentum enarrandum, insidiosæ Serpentis naturam ingeniumque præfatur. Est enim in ea symbolum non incertum, nec obscurum voluptatis, quæ statim atque cor mulieris occupavit, eos sermones volvere animo subegit, quos cum Serpente mulierem transegisse tradit Moses.

Sed hoc interpretandi genus, quod in allegoriis versatur, non tam Scriptoris mentem, quam Interpretis solertiam, declarat. Itaque hæc exosi alii, non omnino tamen ab allegoria abhorrentes, Cacodæmonem Serpentis nomine notatum iri volunt. Hercle appellationem hanc hæsisse Dæmoni certum & exploratum est: *Serpens antiquus*, inquit Joannes Apocal. 12. v. 9. *Dictus Diabolus & Satanas seducens totam terram*. Ei quoque exertis verbis perditio tribuitur hominis ab Auctore Sap. c. 2. v. 24. *Invidia Dia-*

boli mors ingressa est in Mundum . Verum , ut obiter dicam , quì dici potest Dæmon bestiarum terrę callidissimus? aut quomodo inflicta Serpenti pœna ad ipsum flecti potest?

III. Nihil tamen eo absurdius , quod in hoc negotio Manichæi commenti sunt. Rati namque , eum a quo deceptam Evam tradit Moses , insigne beneficium Protoplastis contulisse , quippe qui in caussa fuit , ut boni ac mali cognitionem assequerentur , sub Serpentis nomine aut Servatorem Christum latitare voluerunt , aut Angelum bonum. Primum Manichæis exprobrat Augustinus , alterum Titus Bostrensis. Et ad primum quod attinet , diserte D. Augustinus de Hæresibus c. 46. ait : *Christum autem fuisse affirmant , quem dicit nostra Scriptura Serpentem , a quo illuminatos eos asserunt , nempe Adam & Evam* . Hoc ipsum in illis reprehendit cum Fausto agens lib. 15. c. 9. *Usque adeo desipitis* , inquit , *ita venenatis incantationibus ejus* (Serpentis) *amens facta es , ut Serpens tibi etiam se Christum esse persuaserit* . Et iterum lib. 22. c. 49. *Ita enim huic*

Ser-

Serpenti sunt amici (Manichæi) *ut eum præstitisse potius , quam nocuisse , contendant* . Ægre tulit Clar. Beausobre tantam impietatem ab Augustino fuisse Manichæis objectam ; sedulo proinde fecit , ut ab hoc turpissimo errore eos vindicaret . Non vacat nunc singula persequi , quibus eruditus Vir in Hist. Manichæismi lib. 7. c. 6. Manichæorum caussam egit. Neque vero hujusmodi sunt, ut cordatum hominem ab Augustini authoritate dimovere valeant. In eo enim haud gravate consentiet quisque , neminem Sectæ principia præ eo calluisse, qui cum ingenio & eruditione excelleret , illi addictus fuit , & in ea celebritatem nominis est consecutus. Quod si idem ille, errore repudiato, cominus & quasi conserta manu cum erroris patronis conflictatus sit ; si non semel , sed sæpe alicujus sententiæ absurditatem illis objecerit ; eos autem nunquam impactæ calumniæ reum inclamasse appareat ; quisnam adeo iniquus erit , ut vel causæ ignorationem homini affingat , vel dolo malo contendat cum adversariis egisse? Atqui hæc duo in Augustinum apprime conveniunt ; nam &

Manichæorum dogmata professus est; & ea postmodum detestatus, insectatus est etiam viribus omnibus, quin tamen intentatæ calumniæ criminationem subiret, aut adversariorum quisquam Sycophantam egisse in re, de qua agimus, jactitaret.

Quare nauci floccique facimus, quæ Beausobro persuasere, ut in Augustinum criticen intenderet. Congruat sane minus reliquis Manichææ disciplinæ principiis sententia, quæ in Serpentis spectro Christum agnoscit: id per nos licet: demus itidem Beausobro, opiniones, quas Manichæis tribuunt D. Epiphanius, & Photius, tam abnormis commenti societatem refugere: quid tum postea? Num inauditum plane ac novum alia hæresum præformatores ac patres, alia discipulos præsetulisse, utrosque autem, quæ non bene cohærent, docuisse, omninoque pugnantia? An vero tanta quisquam vecordia erit, ut Augugustinum dicat disciplinæ dogmata haud novisse, cui se totum dediderat, ac per summam impudentiam Manicheis affinxisse, quæ nunquam professi sunt: hos autem adeo mansueto ac leni fuisse animo, ut

atro-

atroci calumnia lacessiti & provocati non eam repellere laborarint, ac ne mussitarint quidem? Quid quod ab iis haud longe remota Manichæos sensisse, ipso comprobante Beausobro, asserit Titus Bostrensis? (1) Hujus verba in promptu sunt. *Ut jam mandatum*, inquit, *a nequitia* (Diabolo) *ut opinatur* (Manichæus) *datum fuit ad insidiandum homini, & non ad alium usum: adjutum vero magnopere fuisse & liberatum hominem, cum credidit consilio Serpentis, quem Angelum Dei esse decernit; cæcus enim*, inquit, *erat* (Adam) *cum autem gustasset Vetitum, cognovit se esse nudum, & tegumento invento usus est, cognovitque bonum & malum; sic magnam accepit utilitatem*. Tantam autem boni vim cum in nefario immanique scelere Manichæi repositam habuerint, ut ejus præmonstratorem ac patrem, non Diabolum fecerint, sed Angelum bonum, mirum ne cuiquam erit, si usque eo vesaniæ & impietatis progressi sint, ut illius patrandi authoritatem in eum transmoverint, cujus nutibus Angeli obsequuntur? Ad id

vero

(1) Contra Manich. l. 1. Bibl. PP. tom. 4. pag. 928.

454

vero ducit ratio, qua tam ſceleroſo commento ſpeciem coloremque obtendere conati ſunt. Boni enim & mali cognitionem ei plane neceſſariam fuiſſe dicunt, qui mente ac libertate præditus erat, ut & vitare malum diſceret, & bonum proſequi; indeque inferunt, abſurdum plane eſſe & a ratione alienum aſſerere, Deum ab eſu ejus fructus abſterruiſſe hominem primum, a quo boni malique cognitionem percepturus erat. Ex hoc autem quis non videat conſequi planiſſime, Deum aut per ſe ipſum, aut Angeli ope hominem extimulare debuiſſe, ut fructum decerperet ac violaret dentibus? Igitur Æthiopem, ut in veteri parœmia eſt, dealbare nititur Beauſobre, cum a Manichæis tam perverſi dogmatis invidiam amoliri conatur.

Sed neque in ratione ponderis quicquam & momenti eſt, qua inventum ſuum hominibus ſuadere Manichæi voluerunt. Quis enim, niſi plane abſurdus ac ratione carens, a Dei bonitate ac ſapientia alienum dicat, legem homini imponere, qua ſuæ in hunc poteſtatis jus declararet Deus, & ejuſdem obedientiam pertentaret? Cuinam itidem ſuadebit Mani-

nichæus , eum , qui ad imaginem Dei conditus erat , & consilio ac disciplina intellectus repletus fuit , ut ait Ecclesiasticus c. 7. v. 5. rudem adeo mentem , agrestem , ac feram habuisse , ut transgressione Divini mandati boni cognitionem sibi comparare debuerit ? Quis demum , nisi plane amens, in arboris fructum caussam & vim conferat scientiæ boni ac mali? Nimirum non fructus arboris ipse per se habuit, ut experimentum boni malique afferret ; neque id docuit Moses ; sed transgressio Divini mandati fecit, ut quantum boni in obsequio Numini præstando , quantumque in eo deserendo positum esset mali , homo experiretur . Horum veritatem quisque in Mosis verbis perspicere potest ; a quo etiam discet, nomen a boni & mali scientia adhæsisse arbori ex eventu. Nam neque Eva Serpenti respondens illud usurpat , nec Deus Adamum increpans , nec Dæmon ipse Evam decipere gestiens. Eva quippe lignum appellat , quod est in medio Paradisi : Deus lignum , de quo præceperat Adamo , ne comederet . Dæmon vero subdole cum Eva agens nomen o-

mne

mne reticet, & in esu fructus ab arbore pendentis Deorum scientiam illi pollicetur. Sed enimvero in hoc nihil protulisset Dæmon, quo Evæ animum commoveret permulceretque, si a boni & mali scientia arborem Dei ore commendatam illa accepisset. Nihil quippe in hoc novi, nihil inopinati, nihil, quod mulieris ingenium ad migrandum Dei mandatum accendere posset. Prorsus minus scite Sycophantam egisset Dæmon, si eo, quod jam notum erat & exploratum, ad sollicitandum mulieris animum accessisset. Ex quibus intelligere pronum est, Mosem prolepsi usum, cum cap. 2. bis posuit lignum scientiæ boni & mali. Quod enim dixerat prius, Deum excitasse vitæ lignum in medio Paradisi, ut lignum a ligno discerneret, appellationem subdidit, quam lignum alterum, maximo hominum malo, deinde consecuturum erat, eandemque Dei ori aptavit interdicentis homini, ne de ligno scientiæ boni & mali vesceretur.

IV. Verum ut eo revertamur, unde paullum digressi sumus, illa solerter excogitata visa est interpretatio, quæ verum

rum hic & naturalem Serpentem agnoſcit, nihil tamen cum Eva locutum aſſerit, ſed exemplo ſuo excitaſſe mulierem ad decerpendum ex arbore fructum. Vidit enim mulier arbori adhæreſcere Serpentem, atque ex ejus fructu comedere; indeque ipſa ſecum ſermones volvit, quos Serpenti Moſes tribuit, ac deinde fructum abſtulit & guſtavit. Multus eſt in hac confirmanda interpretatione Abarbanel, qui tamen Cacodæmonis artificium minime excludit, quo ita Serpens compoſitus fuit, ut potuerit exemplo ſuo mulierem prolicere ad perpetrandum ſcelus. Quare colloquium, quod retexit Moſes, ratiocinationes tantum mulieris complectitur, ex actione Serpentis conceptas de arbore illa comedentis. Vellem ſane ut principiis bene proviſis hæc inniteretur ſententia. Sed quì verum erit, Serpentem pollicitum eſſe mulieri Deorum ſcientiam? *Eritis ſicut Dii &c.*; id namque ex actione Serpentis fructum vorantis inferre mulier non potuit. Quid quod ne prima quidem interrogatio, qua Divini vetiti rationem ſciſcitatur Dæmon, inquiens, *cur præcepit vobis Deus, ut non*

co-

comederetis de omni ligno Paradisi? locum habet? Hæc enim per actionem Serpentis mentem haud quivit subire mulieris; nec mulier eam comminisci potuit, quin se fœdissimo mendacio obstringeret; id quippe, ut ipsa subdit, non præceperat Deus. Congruit proinde minus Mosis narrationi sententia hæc, eoque titulo repellenda.

V. Jam vero ut a dissidentium & a veritate aberrantium opinionum conflictu nostra emergat disputatio, quænam ex omnibus maxime videatur probanda, decernamus. Nullus autem dubito, hic a Mose & verum designari Serpentem, & calliditatem huic a natura insitam notari, non solam tamen, sed cum extrinsecus adveniente conjunctam. Et primo quidem allegorias minime hic quæri oportere ipsa Mosaicæ scriptionis ratio non obscure edicit. Tota namque historica est: in historica autem narratione allegorias venari, nisi urgens id suadeat ratio, nugari est. Cur enim ea, quæ antegressa sunt, & quę sequuntur, proprie & historice interpretabimur: media vero in narratione apologos, figuras, allegorias perquiremus,

&

& Serpentem voluptatis dicemus illecebram , seu delectationem ? Evam appetitum sensitivum ? Adamum rationem , & ejusdemmodi commentabimur alia? In hęc namque abeunt qui allegoriarum scitamenta consectantur avide , & historiæ simplicitatem fastidiunt. Qui sane non animadvertunt, dum iis operam navant , latissimum patefacere aditum ingeniorum licentiæ ad universam historiam vexandam diripiendamque. In quo hercle vitio illi quoque versantur , qui modo historiæ adhærent , modo figuras aucupantur atque mysteria. Nam ubi hisce , atque alienis a simplicitate historica interpretamentis locum feceris , quid historicum candorem referat , quidve allegoriarum colores , plane incertum fit; indeque, ut nutet tota historiæ veritas, necesse est.

Itaque , ut iterum dicam , verum ac germanum Serpentem hic a Mose in scenam produci, fidenter assero. Id ipse declarat inquiens וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה *& Serpens erat callidior omni bestia agri* vel *omnibus animantibus agri*. Samuel Bochartus הנחש ab Arabico *Nachasa* fieri vult, quod infaustum esse ac mali ominis significat,

ficat, perinde quasi homo aut futuri prę-
ſcius nomen Serpenti ex præſenſione fece-
rit, aut, poſtquam a juſtitia defecit, no-
men eidem indiderit. Grotius ad Matth.
c. IV. verſ. 3. a נחש verbo deducit, quod
tentationem ſignificandi vim habet, propter-
ea quod Diabolo πειραςῇ formam nomenque
præbuerit. Neutri aſſentior. Minime nam-
que ſit veriſimile, Adamum aut huic uni
ex animantibus omnibus nomen impoſuiſſe,
poſtquam in peccatum lapſus eſſet, aut
primitus datum mutaſſe, aut demum cum
perſentiſceret, quod Serpens moliturus e-
rat, non monuiſſe uxorem, ut illius oc-
curſum formidaret ac plane refugeret.
Rurſus id etiam rationem Grotii refellit;
neque enim tum nomen nactus Serpens,
cum Dæmoni obſecutus. Quare a נחש for-
te ductum nomen, non quia tentatione,
cui inſerviit Serpens, illud aſſecutus ſit,
ſed quod *ſcrutari*, *experiri*, *ominari*, *ex-
plorare* Verbum ſignificet, quorum quodli-
bet ſagacitatem & calliditatem flagitat,
quæ in Serpente ſumma eſt. Quid ſi po-
tius a nomine verbum, quam a verbo
nomen dicamus factum? Nihil ſane aſſu-
mitur, quod a veritate abhorreat. Verbum
enim

enim נִחֵשׁ inter alia *augurari*, ac *divinare* ſignificat, & proprie *inveſtigare ignotam rem ope divinationis*. Eſt autem illa celebratiſſima divinatio, quæ ex Serpentibus fit, cujus exempla affert Bochartus Hierozoici lib. 1. c. 3. Huc illa reſpiciunt Terentii in Phormione: *Monſtra evenerunt mibi, introiit in ædes ater alienus canis, anguis per impluvium decidit de tegulis*, Item illa Horatii lib. 3. Ode 27. *rumpat & ſerpens iter inſtitutum, ſi per obliquum ſimilis ſagittæ terruit mannos*. Igitur quod divinare ſignificet verbum נִחֵשׁ, divinatio autem ex Serpentibus facta omnium ferme ſit celeberrima, ad hanc quoque notandam uſurpatum. Ex quo ſi non conficitur ex nomine נָחָשׁ factum Verbum נִחֵשׁ, ſaltem concluditur, illud ab hoc ſuam non habere originem.

Sed quicquid hujus ſit, nomen נָחָשׁ proprie denotare Serpentem, certum & exploratum eſt. Supervacaneum puto loca hic parallela congerere. Vide ſis Exodi c. 4. verſ. 3. Deut. 8. v. 15. Jeremiæ 8. v. 17. Id quoque declarat comparatio, quam Deus inſtituit cum beſtiis agri & feris. Hanc autem nec voluptas ſuſtinet,

nec appetitus sensitivus, nec natura Dæmonis. Qua enim ratione inter agri bestias censeri potest Dęmon, quasi ejusdem generis ambitu contineatur? Deinde, si dicat quis: Leo est fortissimus, Ursus ferocissimus, Elephas maximus animalium, næ ille perridiculus sit, qui præter terræ bestias conferri alia contendat. Frustra vero hic quærat quis, ad quodnam Serpentis genus referendum putemus veteratorem illum, qui in Evam illusit. Viperam nonnulli fuisse putant, Pererio collubitum fuisse Scytalem, alii Draconem dicunt, alii Basiliscum. Nos horum nihil aut assumimus, aut respuimus, qui divinare in re nolumus plane ignota. Illud tuto asseri posse videtur, Serpentem fuisse notum, quippe quod ait Moses: *Serpens ille*. Fortassis etiam corporis mole, pulchritudine, sagacitate reliquis Serpentibus anteivit.

Cave tamen sis ne Serpentem tantummodo hoc loco intelligas. Quanta quanta enim sit hujus calliditas, bruti calliditas est. Animal autem brutum quis credat articulatas voces potuisse promere humanisque persimiles? An id Colubro tantum natura dedit, reliquis brutis negavit? Aut

cum

cum dedisset, abstulit deinde? Utrumque absurdum. Quid quod de re gravissima verba cum fœmina fecit: mandatum Dei, Divinam imaginem, cognitionem boni & mali mente complexus sit necesse est? Tum quęstionem accurate instituit, addubitationem inspersit, contrarium ex mulieris responsione elicuit, quæ vaferrimi ingenii, & ad fraudem struendam affabre ac basilice compositi indicia sunt. Demum quis umquam afferat creaturam bonam, cujusmodi adhuc Serpens erat, dolo malo adversus Deum insurgere potuisse, turpique mendacio niti ad perdendum hominem?

Viderunt hæc Synagogæ Magistri, ac proinde repertorem perfidiæ fuisse Satanam tradidere, quem ipsi Samaelem nominant. Hunc nimirum inequitasse Serpentem putant, qui corporis mole ad Cameli magnitudinem accedebat, ac dolis cepisse mulierem. Apage commentum hoc ineptissimum. Ex eo tamen quid de toto hoc negotio Talmudici senserint, in promptu cuique conjectura est. Nimirum & verus interfuit Serpens, & Dæmon. Quamobrem anguem ἐνεργȣ́μενον ut interprete-

mur, res ipſa monet. Duplicem ſane in Serpente fuiſſe naturam, præter Rabbinos, docuere Eccleſiæ Patres, Cyrillus, Irenæus, Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius. Secundum id duplex etiam in Serpente diſcernenda eſt calliditas, alia ipſi innata atque inſita, alia adventitia & Dæmonis propria. Quemadmodum enim Serpentis natura & corpus fuit Dæmonis indumentum & organum, ita calliditas Serpentis velamentum vafritiæ fuit, qua Dæmon uſus eſt. Perſpicuis id verbis declaravit Chriſtus, Diabolum ab initio homicidam fuiſſe dicens: qui & Serpens diſerte appellatur in Apocal. c. 12. *Serpens*, inquam, *ille antiquus ſeducens totum terrarum orbem*.

At enim, cur potius Serpentis corpus ſibi aptavit Dæmon, quam aut Vulpis, aut Canis, aut Urſi, aut alius animalis, quod aſtutia & calliditate præſtat? Congruit omnino fraudulento Dæmonis ingenio, ut Serpentis larvam indueret. Duplicem namque cum diſcernere liceat belluinam calliditatem, aliam in vita ſarta tectaque tuenda, aliam in componendis inſidiis, & malum homini inferen-

ren-

rendo, priori antecellunt Serpentibus animantes nonnullæ, posteriori brutis reliquis præstant angues, qui proinde illiberales & insidiosi ab Aristot. appellantur Hist. animalium lib. I. c. I. Ad hanc calliditatem referendum, quod de Serpente traditur Gen. 49. v. 17. Cerasten scilicet, vel Ammodytem in iis, quibus concolor est, arenis latentem ungulas Equi morsu appetere. Itaque non sine causa Moses Serpentem dixit עָרוּם a עָרַם *versutus fuit*, *calliditate*, *astu usus est*, quo innueret, Serpentem ad vertendas ac mutandas res fuisse apprime ingeniatum.

VI. Et vero nequissimo astu rem cum Protoplastis in Edenis pomario tractasse Dæmonem quis ambigat? Primo namque fœminam adortus est, non virum; illam quippe opportunam fraudi reddebat simplicitas: virum major tuebatur sagacitas, quæ facile veteratoris technas dissolvere ac profligare poterat. Ad concupiscendum, quod specie sua oculos perstringeret, pronior natura mulier: contra appetitus irritamenta hujuscemodi firmior vir. Divinum vetitum altius insederat hominis animo, in quem Dei voce immissum fuerat: istud

ab homine acceperat mulier. Hoc fortaſſe factum, ut Diabolo Eva reſpondens, Divino præcepto addiderit *& ne tangeremus illud*, lignum ſcilicet, cujus fructum ne violaret dentibus præceperat Deus. Niſi illud a marito additum dicere malimus, quo uxorem ab omni periculo peccandi removeret longius. Fortaſſe id nihil præter repetitionem primorum verborum affert. Verbum namque נָגַע *tangere*, quandoque eſt *arripere quidpiam*, *ut eo utaris*. Jeremiæ 12. v. 14. ubi exitium minatur Deus vicinis, qui Iſraelitarum bona invaſerant, eadem ſententia adhibetur הַנֹּגְעִים: *qui attigerant*, inquit, *hereditatem Iſraelis*. Deinde non aperta oratione peccatum ſuadet Dæmon, ſed ſimplici interrogatione ſermonem exorſus, ambiguis verbis animum mulieris ſollicitat ac diſtrahit: *cur præcepit*, inquit, *vobis Deus*, *ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Ita particulam אַף כִּי vertit D. Hieronymus: Onkelos *vere ne*, alii *etiam ne*, alii *nunquid*, alii *ita ne*. Nolo quemquam levicula in re tam religioſum Grammaticum, ut vitio vertat Vulgato interpreti, quod *cur* reddiderit. Dæmonis

quip-

quippe dolosum ingenium, artemque omnem expressit, qui generalis interdicti caussam sciscitatur, quod per fraudem supponit. Porro etiam in ipsa commemoratione Divini mandati fraus pessima hæret. Nam illa enuntiatio, *ut non comederetis de omni ligno*, in ambiguitate versatur. Duplicem namque interpretationem capit, nimirum, vel *ex nulla comederetis*, vel *ex quavis non comederetis*. Priore Deum manifeste calumniatur: posteriore aperte mentitur, perinde quasi inique Deus ab esu unius arboris hominem coercuerit. Ita dolis commota & labefactata mulier, cum jam otio difflueret, incogitantia laboraret, avidis fructum intueretur oculis, sibimet placeret, fructum arripuit comeditque, ac viro suo obtulit.

VII. Verum qui fit, ut Serpentis occursum Eva non exhorruerit? aut cum loquentem audiret, nihil ei de fraude Dæmonis suboluerit in Serpente latitantis? Aut enim sub corio Serpentis Dæmonem delitescere novit, aut ignoravit: si ignoravit, ergo ne putavit bruta loqui? Si novit, cur Diabolo credidit? Nihil hæc difficultatis habent, quæ tamen aliquibus

perdifficiles explicatus habere visa sunt. Non exhorruit Serpentem mulier, propterea quod cum a Deo nondum homo defecisset, omnia ipsi animantia morigera erant, nec mali quicquam ab iis metuere poterat, quibuscum familiariter versabatur. Nihil de fraude suspicata est, non quia causa suspicandi defuerit; sermo enim ipse, quem in brutum neutiquam competere ignorare non poterat, suspicionem fraudis injicere debuit; sed quia pulchritudine fructus illecta, muliebri curiositate percita, sui amore abrepta attentionem sponte diligentiamque omisit, qua haud dubie agnovisset, an bonus, vel malus spiritus loqueretur. Praeclare Augustinus lib. 14. de Civ. Dei c. 13. *In occulto*, inquit, *mali esse cęperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui animus inhærere debet, principio, sibi quodammodo fie-*

fieri , & esse principium . Hoc fit , cum sibi nimis placet . ---- Spontaneus est autem iste defectus , quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni , a quo illustrabatur ut videret , & accendebatur ut amaret , stabilis permaneret , non inde ad sibi placendum averteretur , & ex hoc tenebresceret & frigesceret , ut vel illa verum crederet dixisse Serpentem , vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem .

VIII. Quę disseruimus hactenus , lumen ac robur a pœnis accipiunt , quibus Serpentem mulctavit Deus . Quemadmodum enim sceleris ultor Deus justam in hominem vindictam exercuit , ita quoque in Serpentem excanduit ; atque ad eundem conversus ait : *Quia fecisti hoc , maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ : super pectus tuum gradieris , & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ . Inimicitias ponam inter te & mulierem &c.* Non pensitabo rationum momenta singula , quibus suadere opinionem suam nituntur , qui aut verum ac germanum Serpentem artificem sceleris mulieri fuisse cum dicant , pœnas quoque omnes in ipsum con-

ferunt ; aut qui ad Dæmonem rem totam trahunt. Illi, quod ſub initium admonuimus, pedibus inſtructum antea Serpentem fuiſſe volunt, erectumque ambulaſſe ; vel cum Didymo D. Hieronymi præceptore artificio Dæmonis factum, ut Serpens ad mulierem decipiendam erecto corpore incederet, ac deinde Divino judicio in terram fuiſſe dejectum, juſſumque, ut ventre reperet. Iſti ex adverſo cum Serpentis nomen Dæmoni apprime convenire velint, & quia vafritie & calliditate pollet, & quia inter beſtias terræ maxime odio dignus eſt, ita quoque pœnas interpretantur, ut ipſum repere in ventrem dictitent, quia ſuperbia, quę adumbratur pectore, & libidine, quæ ventre, homines in fraudem impellit ; tum vero edere terræ pulverem, quia homines terrenis cupiditatibus implicitos, & in vitiorum cęno lutoque demerſos avidiſſime captat. Utrique non inconcinnam pœnarum interpretationem exhibent. Sed nos non tam interpretatio delectare debet, quę ſolertiam redoleat, quam quæ veritatis candore & ſoliditate commendetur. Quis autem probet, Serpentem illum, aut u-

num

num ex omnibus, fuisse instructum pedibus? aut universum Serpentum genus, cum pedibus graderetur, pœnam uni dumtaxat debitam subiisse? Abnormis quoque Serpentis longitudo facile quemque vel oscitantem monere potest, vix ac ne vix quidem fieri potuisse, ut vel duobus usus pedibus, vel quatuor erectus progrederetur. Multo autem minus vero proximum haberi potest, quod Didymus commentus est, caruisse scilicet Serpentem pedibus, nihilo tamen secius Dæmonis arte factum, ut arduus ac sublimis ferretur. Quorsum enim id, cum arbori adhærescens mulieri fucum facturus esset? Quis itidem durum plane non habeat atque asperum, cum agri bestiis ac feris conferri Dæmonem? Cui præterea persuasum sit, cum in Protoplastorum oculis versaretur Serpens, Dæmon autem omnino non appareret, ita Deum maledicta in Dæmonem conjecisse, ut ea nihil quicquam Serpentem attingerent?

Præstat proinde, quemadmodum in Serpente, qui homini exitium nefarie molitus est, duplicem naturam distinximus, duplicem quoque pœnarum interpretatio-

nem

nem inire ; aliam nimirum Historicam ; mysticam aliam & figuratam , in quam tamen præcipue intendit Deus . Ex toto maledictio tam in Serpentem convenit ; quam in Cacodęmonem ; sed non una ratione eademque . Verba singillatim explicando rem conspicuam faciemus . *Maledictus es*, inquit Deus , *inter omnia animantia & bestias terræ* . Optime hæc in Serpentem quadrant . Is namque maledictus & habetur & est, quem odio dignum habent alii , cuique diras imprecantur : tum cui mali quicquam ob eas preces evenit . Occurrit duplex hæc significatio Num. 22. v. 16. ubi Moabitarum Rex Bileamum rogat, ut Israelitas diris devoveat . Rursus is *maledictus* dicitur , qui male ominosus & infaustus habetur, sicuti ex adverso qui bonum præbet omen , & fausta ac læta portendit, *benedictus* appellatur . Porro multa animantia cum sint hominibus invisa , nullum fere est, quod æque homo oderit , ac Serpentem ; ut proinde merito maledictus inter omnia animantia dicatur . Obiter hic animadverti velim , vocem מִכָּל , quam hoc loco adhibet Moses , quosdam vertere , perinde

quasi

quasi esset comparativi Hebraici circumlocutio, hunc in modum: *eris magis maledictus, quam omnes bestiæ*. Perperam id; nam particula מִן persæpe significat *inter*, quod prim. Paralip. c. 11. v. 21. & 25. videre licet. Quare a vulgata lectione recedendum non fuit. Ad inceptum redeamus. Supervacaneum esse puto odii, quo Serpentem homo aversatur, huc argumenta conferre. Vulgatum illud Plauti in Mercat. act. 4. *nempe ruri est uxor tua, quam dudum dixeras te odisse æque atque angues*: quo nimirum innueret, summo odio uxorem execratum esse. Infaustum etiam antiquis omen anguis præbere visus, ut in superioribus adnotavimus. Hinc etiam illa superstitio, quę ex angue in somnis viso metuendum esse ab hoste præsagiebat. Sed ut ut isthæc fabulosis commentis sint annumeranda, certum omnino est, homines & male velle anguibus, & quod possunt male facere, indeque haud immerito inter omnes feras maledictos haberi.

Pergit Deus, & cum maledictione fixisset Serpentem, addidit: *super ventre tuo gradieris, ac terram comedes*. Jam inde

usque

usque ab initio, cum primum Serpens in oras luminis prodiit, ventre perreptavit. Quid ergo in hoc pœnæ fuit? Haud dubie perreptatio ipsa per se pœnam molestiamque afferre non potuit, quippe quæ naturæ Serpentis consentanea. Sed cum opprobrii & execrationis in argumentum ipsi conversa sit, atque ob eam dedecus apud homines serpens consecutus fuerit, quæ naturalis antea erat, in supplicium cessit. Exemplum ad id maxime conspicuum in Arcu pluvio cuique propositum est. Quemadmodum enim Divinæ erga hominem clementiæ declaratione factum est, ut in Arcu pluvio, nihil cum ipse per se præmonstraret portenderetque, signum constitueretur fœderis ac tessera pacis, ejusque aspectus metum omnem rediturì Diluvii eximeret ab hominum animis, quin tamen ejus naturæ quidquam aut periret, aut accederet, ita ex adverso Divina maledictione factum, ut quę naturæ Serpentis maxime congruebant, probro essent deinceps, ac pœnarum induerent vim. Idipsum proinde de pœna altera statuendum. Pulverem namque edere terræ congruit oppido naturæ Serpentis, quæ toto

cor-

corpore terræ hæret, ſive quod terra quandoque veſcantur Serpentes, quod pluribus collectis monumentis ſuadet Bochartus Hieroz. part. prim. lib. 1. c. 4. ſive quod fieri vix poſſit, quin cum iis, quę lambit, pulveris aliquantulum ore trahat. Sed hoc quoque probroſum Serpenti evaſit, & ob venenum, quod interdum herbis floribuſque inſpergit, odium ac deteſtationem hominis in ipſum auget. Has porro ipſas pœnas quis non videat Satanam quoque affeciſſe? Ipſe enim cauſa princeps ſceleris, organum & inſtrumentum Serpens fuit. Quare ſi maledictio Serpenti inflicta fecit, ut, quæ ipſi ingenita erant, probroſa deinceps ac moleſta evaderent, quantum eam Satanæ probri ac ſupplicii importaſſe dicemus? Facere namque non potuit, quin ſe maledictis ſentiret in Serpente petitum, agnoſceretque turpitudinis ſuæ exemplum, in illius reptatu ac paſtu, Cœli Terræque oculis conſtitutum expoſitumque fuiſſe.

Atque hæc, ſi in verborum quodammodo cortice hæreamus, Hiſtoricamque teneamus ſimplicitatem. Quod ſi verborum internam ſpectemus vim, atque a ſymbolo

bolo ad rem eo deſignatam transferamus cogitationes, perſpiciemus facile pœnas iſtas recta in Satanam irruiſſe. Profecto in Dæmonem illas primo Deum intorſiſſe ambigi nequit. Quis enim hominem ſubverterat? nonne Dæmon? Itaque Deus non ſecus, atque Judex, qui Falſarium una cum calamo damnat, & Sicarium cum ſuo telo, Dæmoni maledixit, ac Serpenti. Dudum maledictionem ſubierat Dęmon, cum a Deo defecerat. Sed cum lateret hominem maledictio hæc, exoſus & execrabilis homini videri non poterat. Ubi autem hominem perdidit, tum vero in lucem prolata eſt maledictio, eoque factum, ut dignus odio & execratione Dæmon haberetur. Confertur autem cum agri beſtiis, & quia Cœleſte animal cenſeri amplius non poterat, quod e Cœlo ob nequitiam exciderat; & quia cum ab agri feris maxime ſibi homo metuat, eas proinde oderit, nulla hercle inter feras tam nequam eſt, & homini exitioſa magis, quam Dæmon, qui propterea omnium maxime inteſtabilis haberi debet. Super ventrem graditur, quia e Cœlo dejectus terram perpetuo repit, nec caput ad Cœleſtes ſe-

ſedes, e quibus extruſus fuit, attollere poteſt. Paſcitur pulvere, quia terrenis peccatorum ſordibus delectatur. Sed iſthęc pluribus apud Eccleſiæ Patres, Auguſtinum, Ambroſium, alioſque, nec non Rupertum diſſeruntur; ex quorum ſententia de reliquis pœnis decernendum, quibus in Cacodæmone ſceleroſum inventum inceptumque ultus eſt Deus.

FINIS.

504

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Francesco Antonio Mantua Inquisitor Generale del Santo Offizio di Padova nel Libro intitolato: *De nuditate Protoplastorum, & De Serpente tentatore, Dissertationes duæ habitæ in Gymnasio Patavino a R. P. Bonaventura Luchi Sac. Script. Pub. Prof.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia, che possi essere stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 16. Decembre 1754.

(Gio. Alvise Mocenigo 2. Ref.
(
(Marco Foscarini Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a carte 65. al n. 481.
Giacomo Zuccato Segr.

Adi 17. Decemb. 1754.
Registrato in Libro del Mag. Eccell. de' Sig. Rev. contro la Bestemmia.
Gio. Battista Battisti Segr.

Pag. XV. l. 9. cæpisse *corrige* cepisse
XXII. l. 5. quisque *corrige quisquis*